



ANtheas ob corporis & animi uirtutes rex Gothorū electus fuit, Anno mundi termille ſimo ſexcentefimo quarto. primū illi belli negotium cum Hiſtrianis fuit. Cum autem eorum potentiaē ſe imparē cōſideraret, per Appolloniēſes auxilium à Philippo rege Macedonum petijt, atq; eum regni ſui hæredem futurum pollicetur. Verū cum Philippus auxilia diutius differret, & interim Hiſtrianorum rex in fata concederet, ita ut Gothi à metu belli liberarentur, Antheas mox per legatos Philippo renunciat, ſe neq; auxilio eius indigere, nec alium hæredem quam filium inſtituere poſſe. Itaq; Philippus bellum à Byzanti-

nis in Cimerias terras transferre decreuit. Ut autem commodius eorum regionem ingrederetur, Herculi ſtatuam ad Hiſtri oſtium collocare ſimulauit. Sed Antheas dolo cognito, negat ſe permiſſurum eius exercitum in ſuos fines ingredi. Si uerò in uitis Gethis ſtatuam poſuerit, ſeſe æs ſtatuaē in aculeos ſagittarum uerſurum. His utrinq; animis irritatis prælium committitur, in quo cum Getarum uirtute Philippus ſuperaretur, ad conſuetos dolos conuerſus uictor euadit. Poſtea cum Antheas fato functus eſſet, atq; Gothilas rebus Gothicis præeſſet, Philippus inuictos Gothorum animos conſiderans, Medompam filiam Gothilæ uxorem duxit, & cum Gethis foedera inijt. Verū deinde ex improuiſo Uditanam urbem eorū aggreſſus, à ſacerdotibus reiectus fuit. Hinc factū ut Gothi huius iniuriæ memores, poſtea multis cladi- bus Macedones affecerint, & Soporionem Alexandri magni legatum cū triginta millibus armatorū trucidarint. Iornand. in reb. Goth. Ioan. Mag. li. 3. c. 10.